



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

Inventio S. Crucis. 3. Maii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

2. Maii. VITÆ SANCTORVM. 225
re est. & illa morientis: Sancta & immaculata Virgi-
nitas, quibus te laudibus efferam, nescio. Imò verò
ANTONINE, egregiè scivisti: Virgo moriens eam
in cælum usque extulisti. Ex Vinc. Mainard.

Ne simus hic negligentes, ut non per infinita secula
postmodum pœnitentiam agere cogamur, ubi nihil pro-
derunt lacrima. In studiis atque laboribus gaudent An-
geli atque Archangeli, sicut contrà in torpore ac negli-
gentiâ gaudet inimicus. S. Ephrem. tom. I.

INVENTIO S. CRUCIS. 3. Maii.

Gaudent alii crucem, quam cælum mittit, mis-
sam amittere; at amissam olim Christi cru-
cem invenisse hodie se gaudet Helena, triumphat.
Rei gestæ ordinem hìc habes. Latebat crux terrâ,
plus odiis Judæorum sepulta. At Helena, cùm pri-
mùm filius Constantinus Maxentium debellavit
crucis sanctissimæ auspiciis, quòd grata foret, omni
ingenio viribusque eruere defosilam, orbiqüe ado-
randam proponere contendit; tunc demum cre-
dens thesaurum se reperturam, si crucem. Ita locus
à superstitione primùm purgatur; & infame Vene-
ris stabulum statuaque dejicitur: mox humus altè
egeritur; tandem tergeminæ cruces parent, &
ponè titulus crucis refixus. In ipsissimas auri ve-
nas offendisse Helenam credidisses. Minuebat ta-
men lætitiam publicam illud, quòd quænam ex
tribus Servatoris crux forer; sic nondum consta-
ret. Sed opportunum consilium Macarius urbis
Episcopus suggestit, jussitque ordine singulas mo-
rienti fortè tunc mulieri imponi. Pergebat illa ad
primæ contactum mori, itemque ad secundæ, ad
tertiæ denique in columis revixit. Huic Helena
templum struere dignum magnificentiâ suâ, cru-

226 VITÆ SANCTORVM. 4.Maii.
cemque, hoc est aurum, argento includere, patrem quoque unà cum auctario (clavis ejusdem ad filium Imp. transmittere, regium utique donum. Agnovit ille signa victoriarum suarum, & summè veneratus toto imperio edixit, ne quæ telera salutis foret omnibus, posthac improborum foret supplicium. Clavorum altero diadematis frontem, altero frenos Imperatorios ornavit, certus majores nobilioresque uniones neque Indianam posse submittere. Ex Brev.

*Quisquis desiderat ab omni vinculo maledictionis
absolvi, & plenam novæ gratiæ benedictionem consequi,
Crucem diligat; ex qua omnis plenitudo benedictionis
emanat; per Crucem se Dei mandatis astringat; pa
Crucem effrenis Carnis incentiva cohibeat. S.P.Dam.
serm.de Invent.Cruc.*

S. FLORIANUS M. 4.Maii.

FLORIANVM, quem adversus ignium injurias patronum invocamus, aquæ ad Superos transmiserunt. Diocletiano Cæsare, in Norico Ripario Tribunus militaris agebat, cùm institutâ de Christianis quæstione, nomen suum ultrò detulit. Aquilinus loci præfectus fustuário primùm ejus constantiam tentavit; deinde ubi Christi nomen extundi ei posse desperavit, in Anassum flumen præcipitem egit. Impii mandati obedientiam carnicem repentinâ cæcitatem luit. Corpus exanime appulsum in scopulos aquila tutata est, Jovis olim nunc FLORIANI satelles. Ipse Valeriam religiosam feminam ad justa persolvenda corpori suo excitavit, & pietati mercedem persolvit, salubrium aquarum scaturigine, quas ægris bibisse profuit. Igne periclitantibus propitium esse pri-

mus